Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 639
Quelle:
Copyright:

eus vexatus, nobis *fol.* 25. p. 2. sic habet: *Significationem bonorandi et eius per cuius bonorandus est intellige. scilicet per angelos et filios dei.*

III. *fol.* 100. p. 2. *Incipit liber Sancti Hylarij ad constantium imperatorem hereticum arrianum.* Edit. *Maur. col.* 1237. *Tempus est loquendi. quia iam tempus preteriit tacendi.* &c. Adest et *Additamentum* ex L. II. *de Trinit.* ut in *edit.* et *Cod. suprac.* finitque: *insolenter in Dei rebus ignarus.*

IV. *fol.* 105. p. 2. *Epistola Sancti Hylarij transmissa ad Constantinum.* Incipit: *Benignifica natura tua domine beatissime auguste* &c. Lege *Constantium.* In edit. *col.* 1217. Finit: *de se loquitur ipsa sententia.*

V. *fol.* 107. *Liber Secundus ejusdem ad eundem. Non sum nescius piissime imperator* &c. In edit. *col.* 1225. Finit: *ab ea iuxta ista non dissonans.*

VI. *fol.* 108. p. 2. *Incipit Epistola eiusdem Aduersus Arrianos. vel Auxentium Mediolanensem. Dilectissimis fratribus in fide paterna manentibus* &c. Lineis abhinc aliquot etiam noster cum aliis Codd. legit *habituris* non *abiturus*, sed finem versus contra Codd. cum Mauriana *lacus* non *lucus.* Finit: *christum deum verum predicabunt.* Adhaeret et hic *Exemplum blasphemię Auxentii. Beatissimis et gloriosissimis imperatoribus Valentiniano et Valenti* &c. In *Auxentii* Confessione deest et nostro *verum filium*, sed malo cum illo legere: *Natus de Spiritu sancto ex Maria uirgine*, quam cum Constantio: *de Spiritu sancto et Maria virgine.* Tractatus hic in *Mauriana* extat *col.* 1263. estque ultimus in praesenti Codice, cum Codex CCIII. ulterius progrediatur, ut inspecturis patebit.

CCV. VI. E. 12.

Codex membraneus lat. Sec. 300 XII. Folior. 116. f. eleganti manu scriptus, rubricis decore enotatus, bonique generis hac miniata inscriptione gaudet: *Incipit Liber. S. Hilarij episcopi pictauiensis contra omnes hereses.* Titulum hunc Editores Opp. *Hilarii* Mauriani *Paris.* 1693. f. in nullo suorum *Codd.* invenisse videntur; Ipsi *Librum de Synodis* seu *de Fide Orientalium* inscribunt, *col.* 1149. Sequitur: *Dilectissimis et beatissimis fratribus episcopis germanie prime. et germanie secunde. et prime belgice. et belgice secunde. et lugdunensi prime. et lugdunensi secunde. et prouincie nouem populane. et narbonensi plebi. et clericis tholosanis. et prouinciarum* (Britanniarum ?) *episcopis. Hilarius Seruus christi in deo et domino nostro eternam salutem.* Initium: *Constitutum mecum habebam fratres karissimi. in tanto silencij uestri tempore* &c. Juvat observare quaedam, quae spem facerent, non abs operae pretio totum hunc Tractatum cum Editis collatum iri. Noster *fol.* 1. *negata ipsius quod tempus postulat*